



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. LI. Miserere mei Deus, secundum mag. &c. Carm. gen. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Tu legum habenis impatiens regi,
 Et institutis, moribus & bonis
 Iuratus hostis, uoce laudas,
 Tecum animo mea uerba rides.
 Cum fure furti consilium cois,
 Mœchis adulter te socium applicas:
 Ad probra proiectus, dolosa
 Perniciem meditare lingua
 Cum fratre iuncti uincula sanguinis
 Oris procacis non rabiem premunt:
 Infamia germanum eodem
 Dedecoras utero creatum.
 Et arbitraris me similem tui,
 Quòd perpetrata hæc dissimulauerim?
 Ne crede: tecum ex postulabo,
 Ante oculos tua facta ponam.
 Considerate hæc uos, quibus excidit
 De mente cæca mentio numinis:
 Ne, quumprehendam, nemo sit qui
 De manibus mihi presa tollat.
 Si uictimam uis magnificam mihi
 Mactare, laudes canta, age gratias.
 Hæc itur ad certam salutem,
 Hæc superos uia pandit axes.

PSAL. LI. *Miserere mei Deus, secundum*
mag. etc. Carm. gen. 5.

O Salus rerum, lacrymis precantum
 Mollibus flecti facilis, rogantem
 Lenis exaudi, scelerumq; tetras
 Ablue sordes.

G

Vsq3 peccati laue & usq3 labem,
 Dum repurgatum maculis pudendis
 Purius corpus niteat recocto
 Ignibus auro.

Nam meam agnosco (pudet heu pigetq3)
 Ah miser labem: uitijq3 fœda
 Mentis obuersans oculis imago
 Semper oberrat.

Vnus arcani es mihi testis: unus
 Arbiter uerax, temerario ausu
 Improbas linguas tua iudicantura
 Facta refutas.

Quippe iam primo scelus usq3 ab ortu
 Hæret, infectas uitians medullas:
 Deq3 conceptu genitricis hæusi
 Semina labis.

At tibi cordi est sine fraude ueri
 Simplicis candor, fideiq3 certæ
 Puritas, nullo labefacta duri
 Tu chinis ictu.

Hanc facis tanti, uitij3 ut atris
 Oblito, legum sapientiæq3
 Tu mihi arcanæ facilis beatum in-
 dulseris haustum.

Ergo me hyslopi, sator alme, lustra
 Frondis aspersu: maculæq3 cedent,
 Mem-

Membra candorem tibi lota uincet
Pura uiualem.

Si bonus lætū placidusq; mittas
Nuncium, tristem mihi recreabis
Gaudio mentem: stupidos recurret
Robur in artus.

Ne meos lapsus oculis acutis
Semper obserua, numerāue labe:
Sed malę culpæ nimium tenaces
Abluę sordes.

Cor mihi rectum, scelerisq; purum,
O potens rerū genitor, reſinge:
Spiritu firmum renoua nouata
Cordis in aula.

Neu mihi auertas faciem, tuoq;
Arceas uultu p̄ocul, auferasq;
Spiritu sanctum, calida incitatus
Rursus ab ira.

Redde speratę solido ut ſalutis
Gaudio per te fruatur, inquieti
Spiritu motus animi rebelles
Principe firma.

Tum meo exemplo moniti scelesti,
Quos uia flexit maleſuadus error,
Denuò legum duce me tuarum
Iuſſa capeſſent.

G ij

Expia noxa mihi sospitator
 Cædis infandæ caput obligatum, ut
 Te canam iustum, pariterq; lapsis
 Parcere largum.

Tu uiam uocis mihi pande: mutum
 Tu Deus linguæ moderare plectrum,
 Tum feram latè tua magna gentes
 Facta per omnes.

Victimæ si te caperent, dedissem
 Victimam: sed te neq; sanguis hirci
 Fufus, aut sacris holocausta placant
 Addita flammis.

Pænitens fraudum scelerumq; pectus,
 Spiritus fracti, mala cor perosum,
 Hæc Deum placant: adhuc hæc, & absque
 Ture litabis.

Gentis humanæ bone dux Sionem
 Quo soles uultu facilis tuere:
 Pace florentes Solymæ beatæ
 Protege turres.

Tum tibi uotis bona mens pudicis
 Sacra persoluet: sacer hircum ignes
 Pascet, & sanguis uituli calentem
 Imbuet aram.

PSAL. LII. *Quid gloriaris in malitia, qui,*
etc. Carm. gen. 10.

Quid gloriaris impie
 Tyranne prauis artibus?
 Innoxijs clementia
 Diuina semper excubat.

Tua